

Eustachii Atrebatensis.
*Quaestiones septem de aeternitate
mundi: “Quaestio quarta. Utrum
sint plura aeterna quae mensuret
aeternitas”*

Autor:

Omar Argerami

Revista:

Patristica et Mediævalia

1985, 6, 80-90

Artículo

EUSTACHII ATREBATENSIS QUAESTIONES SEPTEM DE AETERNITATE

Textus et adnotationes: OMAR ARGERAMI

<Quaestio quarta: utrum sint plura aeterna quae mensuret
aeternitas>

883
[F. 61^{vb}]

QUARTO quaeritur utrum sint plura aeterna quae mensuret aeternitas. Quod non, ostenditur: quidquid est aeternum est primum, quoniam aeternitas dicit privationem initii et finis. Ergo, si est ponere plura aeterna, est ponere plura prima; sed plura esse prima, hoc est impossibile. Ergo, et plura esse aeterna. Quod autem non possint esse plura prima, hoc videtur quoniam omni multitudine prior est unitas. Omnis enim multitudo ab unitate nascitur, et ad unitatem reddit; sed primum est, ante quod nihil est. Ergo, omnimoda et simplex primitas non potest stare cum pluralitate sive multitudine; igitur non possunt esse plura prima, et ita nec plura aeterna.

890

ITEM, Anselmus, Monologium capitulo I: id summum est, quod sic supereminet aliis, ut nec par habet nec praestantius. Sed omne aeternum est quia nihil habet admixtum actu vel potentia de contrario. Ergo, nullum aeternum potest habere par vel praestantius. Ergo, non potest <habere> aliquid sibi coaeternum.

895

* ANIMADVERTAS: ad v. 579 citatur ab Eustachio Isaac Israeli *Liber de Diffinitionibus*, quem post editionem illius quaestionis in manibus habere posui. Citatio, vero, non satis proprie exacteque textui quo utimur (*Isaac Israeli liber de Diffinitionibus*. Ed. J. T. Muckle. AHDLM A XI (1938) 299-340) videtur respondere, quia diffinitio quam hic auctor noster conatur afferre, magis perpetuitati quam aeternitati cohaerere intelligitur, quod ex ipsis Isaac verbis inspicere potes: "Definitio temporis; tempus est spacium quod separat motus coeli vel distinguit. Definitio aeternitatis; aeternitas est spacium quod non separat motus vel distinguit. Definitio perpetuitatis; perpetuitas est spacium perpetuum vel distinctum non separatum neque intersectum" (*op. cit.* p. 327, v. 9-13). Etiam in fine secundae recensionis: "Tempus est spacium quod distinguit motus coeli. Aeternitas est spacium quod non distinguit" (*ibid.* p. 340).

891. quod: quam *ms.* 895. sic supereminet: sit supereminens *ms.* 898. habere *coniect.*

894. *S. Anselmi Monologium* cap. X in fine: Id enim summum est, quod sic supereminet aliis, ut nec par habeat nec praestantius.

- 900 ITEM, si est ponere plura aeterna, aut tempora mesurantur una aeternitate, aut pluribus sive diversis. Si tu dicas quod pluribus; istud est impossibile secundum Anselmum, Libro De Incarnatione Verbi, circa finem, quod dicit quod aeternitates plures intelligi nequeunt. Quod probat sic: si plures sunt aeternitates, aut sunt extra se invicem, aut in se invicem. Sed non extra se invicem, quoniam, ut dicit, nihil est extra aeternitatem, quia tunc non esset perfectissima in mesurando et continendo. Sunt igitur in se invicem. Sed aeternitas est simplex et indivisibilis sicut punctus. <Et sicut> punctus cum puncto sine intervallo non est nisi punctus unus, sic aeternitas cum aeternitate, sive in aeternitate, non est nisi una aeternitas; plura enim aeterna non mesurantur nisi una aeternitate. Sed impossibile est quod aeternitas sit mensura alicuius rei quae non sit id quod ipsa. Probatio: quoniam aeternitas non est mensura nisi rei quae omnino est simplex quoniam mensura nisi rei quae simpliciter est prima. Ergo aeternitas est idem per essentiam quod aeternum, cum omne aeternum necesse sit omnino esse simplex, et simplex est quidquid habet. Sed hoc posito, impossibile est esse plura aeterna. Probatio: quoniam, ut dicit Anselmus, et Philosophus, aeternitas est mensura indivisibilis et simplicissima. Sed impossibile est quod aliquid,
- 905
- 910
- 915
- 920

909. Et sicut: aut ergo *ms.* 920. est: *iter.ms.* 921. simplicissima: simplicissima *ms.*

902. *S. Anselmi Epistola de Incarnatione Verbi, XV:* Deus non est aliud quam ipsa simplex aeternitas. Aeternitates autem plures intelligi nequeunt. Nam si plures sunt, aut sunt extra se invicem aut sunt in se invicem. Sed nihil est extra aeternitatem. Ergo nec aeternitas extra aeternitatem est. Item, si extra se invicem sunt, in diversis locis sunt aut temporibus, quod alienum est ab aeternitate. Non itaque plures sunt aeternitates extra se invicem. Si vero in se invicem plures esse dicuntur, sciendum est quia quotiescumque repetatur aeternitas in aeternitate, non est nisi una et eadem aeternitas. Dignior enim est natura quae in se repetita semper sibi convenit in perfectam unitatem, quam quae sui admittit pluralitatem. Ubi enim pluralitas, ibi diversitas. At ubi diversitas est, non est perfecta concordia. Perfecta namque concordia est, quae in unam identitatem et eandem unitatem convenit. Si ergo melior est perfecta concordia quam imperfecta, et impossibile est in summo bono, quod est ipsa aeternitas esse imperfectum aliquid: non est possibile naturam aeternitatis pluralitatem admittere. Quapropter quotiescumque repetatur aeternitas in aeternitate, semper una eademque et sola aeternitas est.

... Et ut unum de his quae divinam non habent naturam, in quo similiter est ponam: punctum in puncto non est nisi unum punctum ... Hoc tantum hic sufficiat quia punctum simplex, id est sine partibus, est et indivisibile, velut aeternitas; et ideo punctum cum puncto sine intervallo non est nisi unum punctum: sicut aeternitas cum aeternitate non est nisi una aeternitas.

920. Quamvis Aristoteles non videtur scripsisse de aeternitate, verosimiliter auctor refertur hic ad librum *De causis*, sed non ad litteram. Cf. Prop. 7, 11, 16, 17, 24, 27, 28-31. Quantum ad editionem, videas ad v. 322.

quod est omnino indivisibile et simplex, sit omnino idem per
 925 essentialiam cum aliquibus diversis. Ergo, si aeternitas non dis-
 62^{ra} tinguitur essentialiter ab aeterno, necesse est ea, quae mensu-
 rantur aeternitate tanquam propria mensura, esse simpliciter/
 unum per essentialiam. Non possunt igitur plura sive diversa esse
 aeterna.

ITEM, omne aeternum est immensum. Sed plura esse immen-
 930 sa est impossibile; ergo, plura esse infinita est impossibile. Ma-
 ior patet per Richardum, libro De Trinitate capitulo VII: qui
 aeternitatem habet, immensitatem utique non habere non valet.
 Minor similiter patet per Richardum, capitulo eodem, qui dicit:
 quod non possit esse immensus nisi unus, ex immensitatis pro-
 935 prietate colligimus. Et ita patet quod non possunt esse plura
 aeterna. Ratio autem quare non possunt esse plura aeterna haec
 est: quia, cum immensum omnia comprehendat, nihil est extra
 immensum.

ITEM, quod est in unoquoque genere simplicissimum non po-
 940 test esse nisi unum. In genere ergo entium, quod est simpli-
 cissimum non potest esse nisi unum. Sed ens vel esse aeternum
 est huiusmodi. Ergo, non potest esse nisi unum ens aeternum.
 Maior patet, quoniam simplicissimum in quolibet genere est
 illud primum ad quod omnia reducuntur in illo genere; <aliter>
 945 non esset simpliciter primum nec etiam ad ipsum fieret omnium
 reductio <et sic> non esset unum, quoniam ultima reductio non
 fit nisi ad unitatem. Similiter minor patet, quod esse aeter-
 num sit simplicissimum, quoniam omne caret principio et fine
 ex sui natura. Sed omne esse compositum, quia pendet ex aliis,
 950 naturaliter habet finem; quia naturaliter est in ea ex quibus
 componitur resolubile, sicut dicunt sancti et philosophi.

ITEM, si est ponere plura aeterna, aut communicant illa in
 aliquo, aut in nullo. Si in aliquo: sed omne illud in quo com-
 municant aliqua plura, necessario prius est illis; ergo, neces-

935. quare: *dub. in ms.* 943. aliter non: non autem *dub. ms.* 945. et sic
coniect.

930. *Richardi S. Victoris De Trinitate libri sex.* L. II, cap. VII (ML CXCVI, 904-905): Ecce iam novimus quod impossibile sit esse plures immensos, videamus nunc utrum possibile sit esse plures aeternos. Iam ex superioribus agnovimus et pro certo habemus quod substantia divina non sit aliquid aliud quam immensitas sua, quam aeternitas ipsa. Unde et immensitate et aeternitate constat quod quaevis earum sit idem quod altera. Constat itaque quia qui aeternitatem habet, immensitatem utique non habere non valet. Sed si immensitate carere non potest qui sit aeternus, erit procul dubio simul uterque aeternus et immensus. Sicut ergo non possunt esse plures immensi, sic nec esse poterunt plures aeterni. [...] Nam quod non possit esse immensus nisi unus ex immensitatis proprietate colligimus. Quod vero non possint plures aeterni esse, tum ex eadem convincitur immensitatis considerata proprietate, tum ex mutua immensitatis et aeternitatis habitudine.

955 sario habent aliquid prius se, in quo communicant. Sed aeterno nihil est prius, cum principium, idem et aeternum, careat principio. Si autem dicis quod non communicant in aliquo, contra: secundum Philosophum, omnis passio quae inest aliquibus pluribus, inest eis per aliquod commune. Si ergo aeternitas est passio communis illis; ergo inest eis per aliquod commune. Ergo, 960 communicant in aliquo; et sic, idem quod prius; scilicet, quod neutrum illorum est simpliciter aeternum, cum aeterno nihil sit prius, nec tempore nec natura, quoniam sic caderet prius et posterius aliquo modo in aeternitate; quod non potest esse, cum aeternitas sit simplicissima, et prius et posterius natura 965 fundentur supra diversitatem naturae.

AD OPPOSITUM, scribitur in quarto Metaphysicae quod, quanto aliquid simplicius est, tanto in pluribus reperitur et a pluribus indiget. Sed aeternitas est simplicissima, ut dicitur antea. Ergo, aeternitas, inter omnes mensuras, in pluribus reperitur. Si ergo aevum est mensura plurium et diversorum aeviternorum, et tempus diversorum temporalium; ergo, multo magis et aeternitas diversorum aeternorum. Ergo, sunt plura aeterna. 970

ITEM, in formis videmus quod, quanto aliqua forma est simplicior, tanto magis communicabilis est, et pluribus communicat se; sicut apparet de luce et de aliis. Ergo, simplicitas est causa istius communicationis; ergo, similiter in mensuris: quanto mensura simplicior, tanto pluribus communicabilis. Si ergo aeternitas est mensura simplicissima; ergo, maxime est communis cum pluribus. Ergo, <est> magis communicabilis 975 quam tempus vel aevum. Si ergo non repugnat naturae temporis vel aevi quod plura sunt temporalia vel aeviterna; ergo, multo minus naturae aeternitatis quod plura sint aeterna. 980

ITEM, omnis mensura claudens et circumplectens in se alias mensuras, maioris est capacitatis et amplioris quam aliae. Sed aeternitas est huiusmodi, quia claudit et circumplectitur tempus et aevum. Ergo, est maioris capacitatis et amplioris quam 985 tempus/et aevum. Sed, quanto aliqua mensura est maioris capa- 62^{rb}

962. caderet: primum *add. sed cancell. ms.* 968. dicitur: dicit *ms.* 979. est *connect.* 981. multo minus: multominus *ms.*

957. Effatum Aristotelis non inveni; sed videas *Phys. III, 3, 202b19-22; De Gen. et Corr. A, 10, 327b20-22; B, 2, 329b20-23.* In libro *Auctoritatum Aristotelis (Les auctoritates Aristotelis. Ed. J. Hamese. Louvain, 1974)* inveniuntur aliqua loca quae possunt aliquantulum appropinquari notioni hic relatae: *Metaph. VII* (Omne accidens concretum duo signat, scilicet formam accidentalem et subjectum eius...), p. 129, n^o 168; *Phys. II* (Subjectum et ejus propria passio sunt ejusdem considerationis), p. 145, n^o 56; et loca supra citata. 966. Textus Aristotelis in quarto Metaphysicae non invenitur; forsitan ad sensum referatur quod dicit in *V, 3, 1014b6-8* (in versione moerbekeana: "Unde evenit maxime universalis elementa esse, quia unumquodque eorum unum ens et simplex multis inest, aut omnibus, aut plurimis").

- 990 citatis et amplioris, tanto plura et diversa ei magis convenit
 mensurare. Ergo, magis convenit aeternitati quod mensura sit
 plurium aeternorum, quam tempori plurium temporalium, et
 aevo plurium aeviternorum.
- 995 ITEM, impossibile est esse plures albedines, nisi sint plura
 alba; quoniam diversae formae eiusdem speciei non possunt
 esse in eodem subiecto. Ergo, similiter impossibile est esse
 plures aeternitates, nisi sint plura aeterna. Si ergo sunt, et
 vere dicuntur, plures aeternitates; ergo, sunt et vere dicun-
 tur plura aeterna. Quod autem sint, et vere dicantur, plures
 aeternitates, patet per hoc quod dicitur Daniel XII: qui ad
 iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi splendor firmamenti
 et quasi stellae in perpetuas aeternitates.
- 1000 ITEM, causa prima actualior est, et in essendo et in operando,
 in infinitum quam alia causa creata. Sed videmus aliquas
 causas creatas quae, propter sui actualitatem, producunt effec-
 tum similiter coevum, et tamen alium a se; ergo, multo magis
 1005 causa prima, quae est Deus, potest producere, vel producit,
 alium effectum, a se similiter coaeternum. Sed sic plura sunt
 aeterna; plura ergo sunt, et possunt esse aeterna.
- 1010 ITEM, videmus in figuris quod illa figura quae caret princi-
 pio et fine, scilicet circularis, est inter omnes perfectissima
 et capacissima, sicut dicunt philosophi. Ergo, similiter erit
 in mensuris; quod, scilicet, illa mensura quae, ad modum circu-
 li, caret fine et principio, est perfectissima et capacissima.
 Sed quanto mensura est maioris capacitatis, tanto magis compe-
 tit ei plura mensurare; ergo, aeternitati maxime competit plura
 1015 mensurare, et plura possunt dici aeterna.
- ITEM, quanto aliquid est magis simplex, tanto minus est ar-
 tatum et limitatum. Sed aeternitas est simplicissima; ergo, mini-
 me est artata et limitata. Sed quanto aliquid est minus artatum
 et limitatum, tanto se habet ad plura et convenit pluribus;
 1020 ergo, aeternitas pluribus convenit quam aliqua alia mensura.
 Ergo plura possunt dici aeterna quam temporalia vel aeviterna;
 et sic plura <sunt> aeterna.
- RESPONDEO dicendum quod non est aeternum nisi unum, nec
 possunt esse plura aeterna; unde aeternitas non potest esse
 1025 mensura propria plurium et diversorum, sed unius tantum,
 sicut rationes ostendunt.
- AD HOC etiam sunt et aliae rationes, quarum prima est, sci-
 licet, quod aeternitas, cum sit mensura prima, necessario est

1004. multo magis: multomagis *ms.* 1006. sic *iter. ms.* 1010. capacissima:
 capasseissima *ms.* 1022. sunt *coniect.*

998. *Dan.* 12, 3: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti;
 et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.

- 1030 simplicissima, et ideo est infinitissima. Quod enim est simplicissimum, necessario est infinitissimum, eo quod nihil habet in sui natura coartatum et limitatum, et quia <quod> tale est non potest esse mensura propria nisi rei quae est simplicissima et infinitissima et immensa; sicut tempus, quod est mensura composita, est mensura rerum compositarum. Plura autem ac diversa esse simplicissima et infinitissima, hoc est impossibile; et ideo, plura esse aeterna est simpliciter impossibile. Quod autem plura esse simplicissima sit impossibile patet sic: quoniam simplicissimum in unoquoque genere est primum; ergo, in genere entium, quod est simplicissimum, ipsum est primum. In genere entium, quod est ens aeternum est simpliciter primum ens. Esse autem plura prima in aliquo genere est impossibile, quoniam prioritas in unitate consistit et non in multitudine; et ita, esse plura simplicissima est impossibile.
- 1035
- 1040
- 1045 RURSUS, si sint plura simplicissima, aut omnino conveniunt aut omnino differunt, aut in aliquo conveniunt et in aliquo differunt. Sed omnino conveniunt, cum omnimoda convenientia non sit aliud quam identitas. Ita non sunt plura sed unum. Si autem omnino / differunt; ergo, non conveniunt in hoc quod est esse aeternum, nec etiam erit eadem ratio aeternitatis in utroque.
- 62^{va}
- 1050 Sed ratio aeternitatis est carentia principii et finis, sive ista quam assignat Boetius in V^o De consolatione, quod aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. Secundum ergo istam rationem, <hoc> non convenit utrique; et ita alterum non carebit principio et fine, et sic non erit aeternum
- 1055 Aeternitas enim, cum sit simplicissima, habet unam rationem et simplicissimam. Si autem in aliquo conveniunt et in aliquo differunt, non sunt simplicissima; quia ita in utroque, vel saltem in altero, oportet ponere aliquid quod convenit cum altero, et aliquid quod differt. Ergo, tunc utrumque, vel alterum saltem, est compositum, et ita non simplicissimum. Patet igitur
- 1060 quod non possunt esse duo vel plura simplicissima.

SIMILITER, non possunt esse duo vel plura infinitissima sive immensa. Et ratio huius est, secundum Richardum libro De

1031. natura: coor *add. sed exp. ms.* quod *coniect.* tale: talis *ms.* 1050. est: *sed ms.* 1053. hoc *coniect.*

1051. Cf. ad v. 14 definitionem Boetii.

1063. *Richardus S. Victoris De Trinitate libri sex.* L. II, cap. 6 (ML CXCVI, 904): Immensum sane merito dicitur, quod nulla mensura comprehenditur. Immensum dicitur quod nulli mensurae aequale, vel comparabile invenitur. Si ergo plures dicimus immensos, erit quilibet eorum cuilibet alteri incommensurabilis, erit quilibet eorum cuilibet alteri incomprehensurabilis. Nullius itaque mensura ab altera cuiuslibet alterius comprehenditur, et consequenter unaquaeque quamlibet alteram supergreditur, erit ergo unaquaeque quavis altera maior, erit et unaquaeque quavis altera minor. Quod si est impossibile, imo quia est impossibile, impossibile erit plures immensos esse.

1065 Trinitate II, cº VI: immensum enim nullius alii aequale, nulli alii comparabile invenitur, immo supergreditur cuiuslibet rei alterius mensuram et quamlibet rem alteram. Et hoc est quia, ut dicit, immensum est nulli alii comparabile vel aequale vel commensurabile, quia nulla mensura comprehenditur. Si ergo sunt duo immensa diversa, istud tamen immensum diversum ab

1070 alio supergreditur ipsum, et e converso; et sic idem se ipso est maius et minus, quod est impossibile; et ideo, ut dicit, duos esse immensos est impossibile, et ita duos esse aeternos.

RURSUS, <nihil deest> infinito vel immenso in bonitate, et ideo, non potest esse infinitum bonum nisi unum, ut dicit

1075 Damascenus et Boetius; quia, si essent duo, uni deficeret quod alterum haberet. Similiter dico quod infinito vel immenso in duratione nihil deest de duratione; et ideo, si ponis duos, vel utrumque, vel alterum, est immensum, aut non sunt duo, quia non differunt unum ab altero in duratione, quia iam non esset infinitas vel immensitas; et sic patet quod non possunt esse duo simplicissima nec duo immensa, nec possunt esse duo aeterna. Et sic necesse est ponere unum solum aeternum.

1080

SECUNDA autem ratio ad hoc est: aeternitas enim nominat talem mensuram, quam impossibile est differre ab eo cuius est

1085 mensura; imo necesse est esse idem cum illo, et hoc quia aeternitas non potest esse propria mensura nisi rei simplicissimae; cum non sit rei nisi omnino primae. Res autem aut simplicissima non est, aut est quidquid habet; et ita, cum aeternum habeat aeternitatem et sit in ipsa, necesse est quod aeternitas sit

1090 omnino idem in re quod aeternum, sed differens in ratione. Si ergo ponantur duo aeterna; ergo, aeternitas est eadem per essentiam cum utroque. Aut ergo sunt aeterna eadem aeternitate, aut diversa. Si eadem: sed impossibile est unum et idem simplex, esse omnino idem cum duobus diversis per essentiam, quae respicit sicut substantia; ergo, aut illa duo non sunt diversa, aut

1095 non est aeternitas idem cum illis. Si autem est aeternitas differens in hoc et in illo: ergo, sunt duae aeternitates; ergo,

1073. nihil deest coniect. 1093. sed: et ms.

1075. *S. Ioannis Damasceni De fide Orthodoxa L. I, cap. V* (MG XCIV, 802): Deus perfectus est, et absque defectu, sive bonitatem, sive sapientiam, sive potentiam spectes; principii ac finis expers, sempiternus, incircumscribitus, ac denique, ut rem uno verbo complectar, omnibus modis est perfectus. Quocirca si plures deos esse asseruerimus, inter plures discrimen animadvertere necesse erit. Nam si nihil discriminis inter eos reperiatur, unus potius est, quam multi: si autem discrimen aliquod inter eos existit, ubi tandem erit illa perfectio? Etenim si, vel bonitatis, vel potentiae, vel sapientiae, vel postremo temporis ratione, aliquid in eo ad perfectionem desideretur, Deus certe non erit.

Boetii textum ad litteram non inveni, sed videas "Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint" (ML LXIV, 1311-1314).

- necesse est eas reduci ad aliquam aeternitatem unam primam quae sit in aliquo primo, quia omnis multitudo reducitur ad unitatem sui generis. Et sic ante illam esset aliquod unum aeternum, ad quod reducerentur sicut ad suum primum principium differens ab illis, et ita haec duo non erunt / aeterna, sed illud unum. Aeternitas ergo non potest respicere nisi unum.
- 1100
62^{vb} TERTIA ratio huius est: aeternitas enim dicit summam et perfectissimam durationem, qua maior esse aut intelligi non potest. Summum autem in unoquoque genere non potest conveniri nisi uni; et ideo summa et perfectissima duratio, quae est aeternitas, non potest convenire nisi uni. Ratio autem quia quod summum est non potest convenire nisi uni et non potest multiplicari, est quia summum est ultra quod non est progressus, nec secundum rem nec secundum intellectum. Sed ultra unitatem non est alius progressus, unde intellectus non potest ultra progredi. Sed ultra multitudinem semper est progressus secundum rem, et non tantum secundum intellectum. Secundum rem, quia omnis multitudo ab unitate fluit, et ad unitatem reducitur; et hoc est quia unitas est principium multitudinis, et nisi praesupposita unitate non potest esse multitudo. Similiter intellectus progreditur, et progredi potest, ultra multitudinem, nec stat in multitudine sed in sola unitate. Et ideo esse aeternum, cum sit esse summum et summe perfectum, non potest convenire nisi uni. Ideo aeternitas non potest esse mensura propria plurium diversorum.
- 1105
1110
1115
1120 AD RATIONES ergo in contrarium dicendum, et primo ad primam, "quod, quanto aliquid simplicior. . ." et caetera, dicendum quod propositio ista intelligitur in formis universalibus; loquitur enim Philosophus ibi de universali, et vult dicere quod, quia simplicius est quam particulare, <reperitur> universale in pluribus, particulare autem in uno solo. Sed non est hoc verum in mensuris; imo mensura divisibilis, sicut est tempus et aevum, magis potest convenire diversis, secundum diversas partes suas, quam mensura simplex et indivisibilis quae, quia est huiusmodi, non potest dividi per plura nec potest esse in pluribus subiectis, cum oporteat ipsam esse summam, cuius est <esse simpliciter idem>, et ita idem simpliciter esset diversum.
- 1125
1130 ITERUM, bene concedo quod ipsa est in pluribus, sicut Deus habet esse in pluribus, sed non est in pluribus secundum rationem mensurae, quia hoc repugnat rationi suae, sicut visum est.
- 1135
1140 AD SECUNDUM quod obicit, quod forma, quanto magis simplex, tanto magis communicat se, dicendum quod, aeternitatem communicari, hoc potest dupliciter intelligi: scilicet, vel secundum rationem participationis, vel secundum rationem mensurae

1108. ratio: responsio *ms.* 1126. reperitur: quia *ms.* 1128. mensura: est *add. ms.* 1133. esse simpliciter idem *coniect.* diversum: diversa *ms.*

- tionis. Si primo modo, sic dico quod mensura ita communicatur sicut ipsa <est>, quia aevum et tempus, cum sint aliae mensurae, ipsam pro suo modo participant; unde plus participatur quam aliqua alia mensura; et hoc modo verum est quod forma
- 1145 magis simplex magis communicatur in rebus creatis. Si secundo modo, sic dico quod non magis communicatur pluribus ut mensura propria, quia hoc repugnat suae rationi; nec simplicitas facit ad hanc communicationem, imo magis impedit ipsam, sicut visum est; et ideo, non oportet quod plura mensuret ut propria
- 1150 mensura eorum.
- AD TERTIUM, dicendum quod aeternitas dicitur claudere et circumplecti alias mensuras per quoddam excessum, quia excedit eas undique. Quod ergo obicitur, quod plura capit, dicendum quod verum est, quia capit alias mensuras et mensurata earum;
- 1155 sed non sicut propria mensura adaequata illis, <sed> sicut mensura communis et excellens, et ideo quia excellit illa. Ideo, licet ipsa ab aeternitate capiantur, non tamen dicuntur aeterna. Nihil enim potest dici aeternum proprie, nisi quod est aeternitati adaequatum.
- 1160 ITEM, non sequitur "habet maiorem capacitatem, ergo potest
63^{ra} capere plura aeterna" / quia, licet eius capacitas sit maior, tamen simplicissima est et non divisibilis; et ideo non potest capere plura ad quae exigatur eius divisibilitas, sicut aliae mensurae quae sunt compositae; hoc autem esset si caperet plura aeterna, sicut visum est.
- 1165 AD ID QUOD IV^{to} obicitur de pluralitate aeternitatum, dicendum quod aeternitas ibi pluraliter dicitur, non quia ipsa aeternitas plurificetur in se; sed hoc dicitur propter diversas participationes aeternitatis ex parte creaturae. Aevum enim nihil aliud est quam quaedam aeternitas participata; unde perpetuae aeternitates dicuntur hic diversae distinctiones in aevo, quae omnes sunt perpetuae et bene dicuntur in plurali. Quia, sicut non est unum tempus omnium temporalium, ita non est aevum aeviternorum; imo multiplicatur secundum quod multiplicantur ipsa
- 1170 aeviterna.
- 1175 AD ILLUD quod V^{to} obiicitur, quod quaedam causae naturales producunt effectum sibi totaliter coevum et <tamen> diversum, dicendum quod non est simile de aliis causis in producendo et de causa prima. Causae enim aliae temporales sunt aut aeviternae, et ita habent mensuras compositas et quae non sunt simpliciter primae et quae possunt mensurare varia et
- 1180

1142. est *coniect.* 1154. earum: eorum *ms.* 1155. sed *coniect.* 1159. adaequatum: Ad *add. sed exp. ms.* 1166. IV^{to}: V^{to} *ms.* aeternitatum: aeternitatem *ms.* 1168. diversas: diversitas *dub. ms.* 1171. aevo: evvo *ms.* 1172. sicut non: non sicut *ms.* 1173. non: s.v. *in ms.* 1176. V^{to}: VI^{to} *ms.* 1177. tamem: *coniect. co ms.*

diversa; et ideo possunt ibi esse coaeva causa et effectus. Non sic autem est de mensura quae est aeternitas, quae habet totaliter oppositas conditiones, ut visum est. Praeterea, causa
 1185 prima, eo quod prima est simpliciter et in essendo et in producendo, oportet quod producat rem quantum ad totum suum esse; unde producit rem et rei principia, et ita producit rem in se et in suis principiis; et ita oportet quod producat effectus suos de nihilo. Omne autem quod sic producitur prius est mens,
 1190 et nullum tale potest esse aeternum; et ita impossibile est effectus proprios primae causae esse sibi coevos. Sed causae istae creatae non producunt totum simpliciter, sed quod est in natura et in potentia naturae ducunt ad actum; unde non producunt effectus suos de nihilo. Et etiam effectus illi sunt
 1195 sibi connaturales, et ideo possunt esse coevi illis causis. Non sic autem effectus causae primae, qui sunt totaliter extra ad ipsum. Quod ergo obiicit, quod causa prima est actualissima, dicendum quod verum est, sed haec actualitas non ponit processum effectivum sibi connaturale, sed processum alium
 1200 intrinsecum, qui est processus personarum.

AD ILLUD quod VI obiicitur, quod est mensura circularis et ita capacissima, dicendum quod verum est, sed non capit varia tamquam propria mensura cui adaequantur, sed tamquam excellens. Per hoc enim quod excedit, capit; et ita, ex hoc non sequitur quod illa sint aeterna; imo potius contrarium, quia ex
 1205 quo excedit illa non possunt esse aeterna.

AD ILLUD quod septimo obiicitur, quod, quanto aliquid est magis simplex et minus artatum tanto se habet ad plura, dicendum quod se habere ad plura, hoc potest esse tripliciter: uno
 1210 modo, in ratione essentiantis illa plura; et sic universale se habet ad plura quam particulare, quia est forma simplex, et est de essentia particularis. Alio modo in ratione influentis et conservantis illa plura. Tertio modo in ratione mensurantis. Si primo modo: sic prima propositio non est simpliciter vera, quia
 1215 tunc sequeretur quod natura divina, quae est simplicissima, haberet plura supposita quam aliqua alia natura creata; quod falsum est. Si secundo modo: sic bene concedo quod verum est; unde causa prima, quae est simplicissima et cuius virtus nullo modo est artata, ad / plura se habet, conservando illa et
 63^{rb} 1220 constituendo in esse. Sic etiam dico de ipsa aeternitate, quae est mensura influens in alias et continens eas. Si autem tertio modo: hoc dicitur aut sicut mensura propria, aut sicut communis et excellens. Si primo modo: sic est falsum, imo quia

1189. est: enst *ms.* 1201. VI: VII *ms.* 1203. adaequantur: adaequetur *ms.*
 1205. quod: quia *ms.* 1207. septimo: octavo *ms.* 1222. dicitur: quia *add. ms.*
 sicut: *s.v. in ms.*

1225 simplicissima non potest dividi in plura vel per plura. Si secundo modo: sic est verum, sed ex hoc, ut visum est, non sequitur quod plura sint aeterna, quia non adaequantur illi.